

non amittunt. Ut enim continuum dividatur in partes, est accidens continuitatis, & propterea non necessario corrumpit rei substantiam: sed res in minutissimis particulis eandem essentiam, quam in magnis atq; integro habebat, obtinere potest. DEUS nimirum naturæ opifex, herbas, stirpes, animalia & reliqua, hominis, qui finis quodammodo est rerum naturalium, gratia creavit: ideoq; finis eorum ultimus non tantum est vegetatio, aut ut tanquam peculiaria animalia vivant, sed ut etiam deposita anima homini utilia fiant, & vel alimenta vel medicamenta sint.

Vnde ista forma ortu habeant.

Unde autem hæc formæ originem ducant, & cujus sint naturæ, facilius quærere est, quam explicare. Posset hic quis ad formarum elementarium mixtionem iterum confugere. Scaliger, *Exer. 101. part. 1.* in eam sententiam inclinat; formas misceri: docetque, etsi formæ ultimæ atque excellentes, ut hominis, cum ad ulteriorem operam non sint comparatæ, solæ non misceantur; reliquas tamen misceri. Elementorum nimirum formas esse primas in materia prima: eas formas posse misceri: tum ex illis tertiam formam fieri; veluti ex tauri forma & forma asinæ hinnuli formam. Inde ex mixtione secundarum formarum alias quoq; formas concreari. Porro ex iis alias, unde colores & sapes generentur: quoad in formas

nobiliore perveniat natura, quæ suo genere constant, in quibus promotionem illam suam sistat.

Verum etsi hæc quæ de mixtione formarum dicuntur, magnis difficultatibus involuta sint, & tum alia impossibilia introducere, tum finitum specierum numerum tollere atq; infinitam rerum in natura ex specierum commixtione multiplicationem introducere videantur, & omnino dicantur facilius, quam probentur: tamen ea hic ad examen vocare non libet. Posito, quod formæ elementorum misceantur, atq; ex his secundæ, tertîæ, quartæ, vel etiam quintæ generentur: non videmus tamen, quomodo formæ occultarum qualitatatum auctores inde deduci possint: cum elementorum formæ simplices nullam omnino potentiam habeant ad vim purgandi, aliosq; occultos & mirandos effectus, qui supra omnem elementorum sortem sunt, edendos, ut supra etiam dictum: & Scaliger ipse, *loca allegato*, eos reprehenderit, qui crederent, sola elementorum mixtione fieri posse, ut ferrum trahatur à magnete.

Atque aliam ab hac formam & specierum originem ipsa rerum Creatio ex sacro Codice monstrare videtur, è cujus historia satis probabiliter in hac humana caligine quis statuere posset: has, de quibus agimus, formas, cum ipsis specificis animalium formis, quæ scilicet sine his nec esse & subsistere, nec acti-

Kkkkk 3; ones.